

## De Fide Incarnationis.

1. Distinctio aristotelica inter finem intrinsecum et finem extrinsecum ~~aspius~~ (Met. A, 10; 1075a 12ss) saepius ab Aquinate citata est (In I Sent., d 39, q 2, a 1 sol; De Ver 5, 3; CG I 78 §4; I 47 3 lm; 103 2 3m) et interdum distinctius evoluta (CG II 24 §4; I 21 1 3m).

Quae distinctio maxime per exempla declarabatur.

Ita locus, qui est terminus motus localis, dicebatur finis extrinsecus ipsi motui; at forma, quae est terminus alterationis vel generationis, dicebatur finis intrinsecus rei alteratae vel generatae. In compositis vero, ubi totum quoddam ex multis partibus constituitur, ipse partium ordo habebatur ut forma totius et bonum eiusdem et finis eidem intrinsecus. In XII Met., lect. 12, §§2627-31.

Qua de causa, cum rerum universitas sit totum quoddam ex multis partibus compositum, solebat Aquinas duplicem distinguere finem totius mundi creati, nempe, finem extrinsecum, qui est ipsa bonitas divina, et finem rebus creatis intrinsecum, qui est ordo universi.

2. Iam vero redemptio, a Xto peracta, erat restitutio quaedam ac reparatio ordinis universi, ideoque ut valorem redemptionis systematice percipiamus, iuvat exponere ea quae senserat Aquinas de excellentia art ordinis universalis.

CG I 70 §4: "Bonum ordinis universi nobilius est qualibet parte universi; cum artes singulae ordinentur ad bonum ordinis qui est in toto sicut in finem, ut patet per Philosophum in XI Metaphys."

CG I 85 §3: "Deus principalius vult bonum universitatis suorum effectum quam aliquod bonum particulare; quanto in illo completior invenitur suae bonitatis similitudo."

CG II 39 §7: "... bonum et optimum universi consistit in ordine partium ad invicem... ordo partium universi et distinctio earum est finis productionis universi..."

CG II 42 §3: "Optimum autem in omnibus entibus causatis est ordo universi, in quo bonum universi consistit; sicut et in rebus humanis bonum gentis est divinius quam bonum unius (Eth. Nic., I, 11, 8; 1094b). Oportet igitur ordinem universi sicut in causam propriam reducere in Deum."

CG II 45 §8 Operi a summo bono artifice facto non debuit deesse summa perfectio. Sed bonum ordinis diversorum est melius quolibet illorum ordinatorum per se sumpto: est enim formale respectu singularium singularium, sicut perfectio totius respectu partium."

CG III 64 §9: "Id autem quod est maxime bonum in rebus creatis causatis, est bonum ordinis universi, quod est maxime perfectum,.... Bonum igitur ordinis rerum est id quod est praecipue volitum et causatum a Deo." Cf. CG II 44 §2, ubi hoc bonum dicitur prius in intentione divina.

CG III 64 § 10: "Ultimus autem finis divinae voluntatis est bonitas ipsius, cui propinquissimum in rebus creatis est bonum ordinis totius universi; cum ad ipsum ordinatur, sicut ad finem, omne particulare bonum huius vel illius rei... Id igitur quod maxime curat Deus in rebus creatis est ordo universi."

CG III 69 § 18: "Subtrahere ordinem rebus creatis est eis subtrahere id quod optimum habent; nam singula in se ipsis sunt bona, simul autem omnia sunt optima, propter ordinem universi; semper enim totum est melius partium et finis ipsarum."

Quae non solum S. Thomas in Summa theologiae repetit sed etiam in miram quandam synthesis conflavit.

I 22 4 c: "Post bonitatem autem divinam, quae est finis a rebus separatus, principale bonum in ipsis rebus existens est perfectio universi."

I 47 1 c: "Unde perfectius participat divinam bonitatem et repraesentat eam totum universum quam alia quaelibet creatura."

I 103 2 3m: "Finis quidem universi est aliquod bonum in ipso existens, scilicet ordo ipsius universi; hoc autem bonum non est ultimus finis..."

~~Porro, ex ordine rerum demonstratur existentia Dei (I 2 3 e) et Dei unitas (I 11 3 c). Iustitia Dei distributiva identificatur cum ordine universi (I 21 1 c) et eum veritate rerum ontologica (I 21 2 c; cf. 16 1 c). Providentia Dei concipitur ut "ratio ordinis rerum in finem in mente divina praeesistens" (I 22 1 c). Mundus autem unus dicitur unitate ordinis (I 47 3 c). Gubernatio rerum a Deo est executio providentiae (I 103 1 e)~~

Porro, ex ordine rerum demonstratur existentia Dei (I 2 3 c), unitas Dei (I 11 3 c), et unitas mundi creati (I 47 3 c). Ordo in rebus existens, prout ad effectus producendos ordinatur, dicitur 1) fatum in quantum in se consideratur (I 116 2 c) et 2) executio divinae providentiae in quantum a Deo oritur (I 103 1 c). At ratio ordinis rerum in finem in mente divina praeesistens dicitur providentia (I 22 1 c) et ratio gubernationis rerum, quae in Deo existit sicut in principe universitatis, est lex aeterna (I 11 91 1 c), cuius participatio in creatura rationali est lex naturalis (Ibid., a. 2 c). Denique ordo universi dicitur iustitia Dei distributiva (I 21 1 c), quae iustitia identificatur cum veritate rerum ontologica (Ibid., a. 2 c; cf. 16 1 c); e contra peccata dicuntur quodammodo quodammodo falsitas ontologica (I 17 1 c) sicut et peccatores quodammodo renituntur contra divinam gubernationem rerum (I 103 8 ad lm).

3. Quibus perspectis, sat facile perspicitur quemadmodum ~~signa~~ "signa rationis" ad mentem Divi Thomae distinguenda sint, nempe, 1) Deum se ipsum cognoscere (I 14 4) et divinam suam bonitatem amare (I 19 1: "sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle"), 2) Deum in sua essentia, per scientiam quae dicitur simplicis intelligentiae, cognoscere omnes mundos possibles et omnia quae in singulis continentur, 3) Deum ex mundis possibilibus unum quoad omnia determinatum libere eligere, unde 4) ex hac adiecta voluntate scientia simplicis intelligentiae huius mundi possibilis constituitur scientia visionis huius mundi actualis.

Quantum ad secundum signum, ne fingas Deum alio actu cognoscere ordinationes mundorum possibles et alio actu possibles naturas et actus cognoscere.

Nam possibilia sunt multa. At "ubicumque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio" (I 42 3 Sed contra). Cum ergo Deus omnia possibilia sine confusione cognoscat, necesse est ut possibilia ordinata cognoscat.

Praeterea, sapientis est ordinare et "nihil sit in Dei potentia, quod non sit in ordine divinae sapientiae: nam ~~divina~~ divina sapientia totum posse potentiae comprehendit" (I 25 5 c) "Unde nihil potest esse in potentia divina, quod non possit esse in voluntate iusta ipsius et in intellectu sapiente eius" (Ibid.; ad 1m).

Praeterea, Deus omnia cognoscit simul, uno intuitu, sine discursu (I 14 7). Quare impossibile est Deum primo cognoscere possibles naturas et deinde possibles ordines in quibus variae naturae adunantur et operantur. Cf. CG I, 55.

Praeterea, Deus omnia alia cognoscit in essentia sua. Sed bonum ordinis universi est propinquissimum divinae bonitati (CG III 64 §10) et perfectius omni alio participat et ~~repraesentat eam (I 47 1). Unde est prius intentione divina (Ibid. CG II 42 §2). Et ideo dicendum videtur~~ repraesentat eam (I 47 1). Quare sicut est "prius in intentione divina" (CG II 42 § 2), ita etiam dicendum videtur quod Deus in sua essentia intuetur omnes ordines possibles et in ipsis ordinibus res per eos ordinatas.

Praeterea, sic explicatur factum quod Divus Thomas probat Deum cognoscere rationes rerum singularium eo quod Deus cognoscit ideam ordinis universi (CG II 42 §6; I 15 2 c)

Tertium signum cum secundo cohaeret.

Ita Aquinas probat Deum velle singula bona creata quia & constat Deum velle ordinem universi qui ex ~~signa~~ singulis bonis consurgit (CG I 78 §4).

Praeterea, quia bonum ordinis est praecipue volitum a Deo (CG III 64 §9) et quia est id quod Deus maxime curat in rebus creatis (Ibid., §10), clare sequitur Deum non velle unam rem quia vult aliam sed eum velle ordinem rerum seu hanc rem esse propter aliam (I 19 5 c).

Ulterius, eo quod Deus principaliter vult ordinem rerum, sequitur eum nullo modo velle malum culpae et eatenus tantum velle malum poenae vel malum naturalis defectus quatenus vult aliquod bonum cui coniungitur tale malum (I 19 9 c).

Ulterius, quia Deus vult ordinem rerum, sequitur quod in singulis rebus creatis ratio secundum ordinem assignari potest, ita tamen ut ultima ratio sit libera electio divina huius ordinis prae aliis. Cf. CG II 23 & 24; III 97 §13 ss.

4. Breviter, sicut Deus alia a se cognoscit cognoscendo suam essentiam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam.

Sicut alia a se cognoscit cognoscendo ordines possibles qui in sua essentia elucent et in quibus omnia alia ordinate continentur, ita alia a se vult eligendo quemdam rerum ordinem cuius bonitas in sua essentia exhibetur et in quo omnia eiusdem ordinis ad unum determinata continentur.

Quare primum in voluntate divina semper est ipsa bonitas divina. Alterum semper est ordo quidam universi libere a Deo electus propter bonitatem divinam. Tertium semper est quaecumque creatura quae tendit in ipsam divinam bonitatem tanquam in finem absolute ultimum et tendit in perfectionem ~~max~~ universi eo modo quo de facto se habet in ~~in~~ ordine universi.

5. Haec brevis, simplex, et universalis signorum analysis differt ab analysi scotistica, sicut et intellectualismus differt a conceptualismo.

Secundum conceptualistas, intellectus noster primo inspicit conceptus singulos et deinde intelligit eorum habitudines sive necessarias sive contingentes. Quod ad Deum transferunt, quatenus Deus primo inspicit naturas rerum in sua essentia et deinde intelligit quemadmodum inter se coniungi possint. Unde maximi faciunt signa rationis et vehementer occupantur in determinando quid prius et quid posterius Deus cogitaverit et elegerit.

Secundum intellectualistas, intellectus noster primo intelligit intelligibile in sensibilibus et deinde hanc intelligibilitatem intellectam exprimit per conceptus, definitiones, hypothoses. Quod ad Deum ~~est~~ sic transfertur ut Deus sit ipsum intelligere sicut etiam est ipsum esse et, se intelligendo, omnia alia in se secundum eorum intelligibilitatem intelligat. Ex quo naturaliter fluit quod universaliter Deus primo se intelligit et vult, deinde omnes ordines possibles in se intelligit, tertio aliquem ordinem eligit, et quarto singula intra ordinem electum contenta eo modo voluntur quo ad ordinem totalem se habent.

6. Quibus suppositis, ut proprius ad nostram quaestionem accedamus, quaerendum est de actuali rerum ordine.

In primis, illud ~~est~~ elucet quod praeter determinationes materiales ordo actualis determinatur in sua ratione formali seu quatenus ordo est. Nam est ordo per peccatum violatus, disruptus, corruptus; et est ordo per incarnationem et redemptionem reintegratus et restauratus.

Praeterea, est ordo mysteriosus. Ex una parte existit mysterium iniquitatis, quod consistit in defectu intelligibilitatis. Ex alia parte existit mysterium divinae bonitatis, quod in excessu intelligibilitatis constat.

Tertio, est ordo qui ex tensione et conflictu oritur atque evolvitur. Singuli enim homines de se ipsis et de propriis membris decernere debent utrum futura sint membra iniquitatis peccato an membra iustitiae Deo (Rom 6 13). Quatenus peccatum eligunt, augent regnum peccati (Rom 5 12ss), nam omnis violatio recti ordinis introducit irrationale non solum in vitam peccatoris sed etiam in eius situationem socialem. Quo magis corrumpitur societas, eo difficilius bene vivitur. Per fragilitatem et renitente conscientia, homines peccare incipiunt; at sensim sine sensu, ipsa conscientia modificatur;